

**Landesbibliothek Oldenburg**

**Digitalisierung von Drucken**

**Sebastiani Castellionis Sacrorum Dialogorum Libri  
Quatuor, Quos Postremo Ipse Recognovit: Argumenta  
Singulis Dialogis Praeposuit, Et Sententias Sublicit ...**

**Châteillon, Sébastien**

**Francofurti, 1761**

**VD18 12886300**

Claviger.

**urn:nbn:de:gbv:45:1-18303**

tatem arguit, qui, quod ipse de fermento spirituali dixerat, intelligebant de carnali.

*Iesus, Discipuli.*

**C**avete vobis diligenter a fermento Phariseorum & Sadducæorum, tum etiam Herodis. *Dis.* Hoc dicit, quia panes non accepimus. *Iesus,* Quid vobiscum cogitatis, diffidentes, pares a vobis esse omissos? <sup>a)</sup> adeone cœci animo estis? adeone sensum omnem amisistis, ut nihil intelligatis, neque vobis veniat in mentem illorum quinque panum, quos in quinque hominum milia dispertivi? quot enim corbes frustis refertas abstulisti? *D.* Duodecim. *J.* Quid, cum septem panes in duodecim millia dissecui, quot canistrorum frusta abstulisti? *D.* Septem. *J.* Qui fit, ut non intelligatis, me non de pane loqui, dum jubeo vitari fermentum Phariseorum & Sadducæorum?

### SENTENTIA.

*Dicta Christi spiritualia interdum secundum carnem interpretantur etiam Christiani. Hominem a carne ad spiritum traducere est difficile. Diffidentia ex homine, quamvis pio. ægre petlitur.*

**C L A V I G E R.** Matth. 16. Marc. 8.

Luc. 9.

### ARGUMENTVM.

*Jesus discipulos sciscitatus, quænam esset homi-*

<sup>a)</sup> Adeone ignoratis, posse me, si sit opus, cibum vobis suppeditare, sicut ante feci.

hominum de se fama, & audita Petri confessione, ei claves regni cœli promittit: deinde ejus carnalem in cruce deprecanda animum objurgat, & de hominis abnegatione docet.

*Iesus, Discipuli, Petrus.*

**Q**uem me dicunt homines esse? *D.* Alii Joannem Baptistam, alii Eliam, alii Jeremiah, alii aliquem ex veteribus Vatisbus, qui in vitam redieris. *J.* Vos autem, quem me esse dicitis? *P.* Christum, Dei viventis filium. *J.* Beatus es Simon Bar Jona: quoniam istud a carne & sanguine edoctus non es, sed a Patre meo, qui est in cœlis. Et ego tibi vicissim dico: Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiast meam, quam ne universæ quidem Orci vires superabunt: tibique dabo claves regni cœlestis: ac quicquid obstrinxeris in terra, erit obstrictum in cœlis: & quicquid solveris in terra, erit solutum in cœlis. Cæterum etiam atque etiam cavete, ne cuiquam indicetis, me esse Christum. Me quidem oportet Hierosolymam proficiisci, omnesque a Senioribus & Pontificibus & Scribis contumelias & indignitates perpeccutum interfici, tertioque post die resurgere. *P.* a) Respice te, Domine: nunquam istud tibi accidet. *J.* Abi e meo conspectu, Satana: impedimento inihi es, quod divina non sapis, sed humana. Quod si quis me vult sequi, renunciet sibi ipsi, & me, crucem ferens quo-

a) Parce tibi, & istud malum declina.



quotidianam, subsequatur. Nam qui volet vitam suam servare, eam perdet. Qui vero vitam perdiderit mea causa, & Evangelii, eam servabit. Quid enim prodest, quenquam etiam totum mundum lucrari, si vitae suæ jaæturam faciat? aut quid habet quisquam, quod cum vita sua compensare possit? Etenim quem mei meorumque dictorum in hoc adulterino sceleratoque hominum genere pœnituerit, ejus me vicissim pœnitabit, cum & meo & paterno splendore conspicuus veniam, una cum sanctis & divinis Geniis. Nam venturus sum, & pro suis quemque factis renunciatus. Quin etiam hoc vobis confirmo, quosdam esse ex hoc conventu, qui non sint obituri mortem, quin me regni divini præpotentem venisse viderint.

## SENTENTIA.

*Christi cognitio ab homine non proficiatur. Sequendus Christus est, isque omnibus præferendus.*

LVNATICVS. Matth. 17. Marc. 9.

Luc. 9.

## ARGUMENTVM.

Jesus lunaticum, quem ejus discipuli sanare non poterant, sanat, ab ejus patre exoratus.

Q

Pater

